



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. An, & quomode metus vitiet contractus, aliósque actus etiam juramento confirmatos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

aliquibus pertinere censetur, præsertim, si minas tales exequi solitus sit, qui minatur.

§. II.

An per vim, seu coactionem absolutam contractus, alique actus vitientur; & quomodo probanda sit violentia, & amissa per illam?

TAlia per vim absolutam & injustam extorta ipso jure & facto nulla esse, certa est omnium sententia, & satis eam probat, quòd nullo modo talia gesta vim absolutam passio voluntaria sint, præsertim si exterius etiam, quantum potest, resistat. Probari autem debet violentia illata, si de hac non constet, per testes vel judicia violentam præsumptionem inferentia, ita ut non sufficiat solum juramentum conquirentis, juxta receptam glossam in c. final. h. t. v. pacifacita. Quia delicta liquida probari debent. Si verò de rebus per violentiam ablatis non constet, & de eorum quantitate, ac justis materiâ dubitatur, potest hæc probari per juramentum lætæ partis, ita tamen, ut prius præcedere debeat taxatio Judicis, audito læso, cui postmodum juramentum deferatur, quo juret, tantum sibi damnum, & non minus illatum fuisse, ad quod compensandum condemnatur reus.

§. III.

An, & quomodo metus vitiet contractus, alioque actus etiam juramento confirmatos?

Pleraque acta & gesta, quorum metus gravis & injuste ab extrinseco, ad extorquendum actum talem incussus, causa fuit, ipso jure tam naturæ quàm po-

sitivo sunt valida; rescindi tamen possunt, & debent per actionem quod metus causa, sive per restitutionem in integrum. Ita communissima Theologorum, Canonistarum, & Legistarum sententia, & ex eo satis probatur, quòd metus talis non tollat simpliciter voluntarium, ne cogamur dicere etiam ea, quæ à metu intrinseco, aut à metu justè incusso proveniunt, nulla esse, quòd nemo dixerit, cui sententiæ c. Abbas 2. h. t. & plurima alia jura suffragantur; & quamvis in contrarium pro nullitate taliter gestorum multa etiam tam jura quàm argumenta afferantur, ea tamen vel de specialibus tantum casibus intelligenda sunt; vel volunt tantum, efficaciam non esse talia metu extorta, cum rescindi possint; vel de illis casibus tantum intelligi debent, ubi dolus intervenit, vel voluit tantum, quòd actio decur ad rescindendum, contractum v. g. metu passio, &c. quòd si tamen talis contractus metu gravi extortus juramento confirmatus sit, servari ille debebit, si sine dispendio æternæ salutis servari possit, prout accipitur ex c. Ad aures 3. & c. Cum dilectus 6. h. t. absque spe relaxationis, facillè obtinendæ, nisi hoc ipsum juramentum gravi metu extortum fuerit, quo in casu non tantum facilis relaxatio à Judice Ecclesiastico obtinebitur, si petatur, sed ipse Judex ex officio juramentum tale remittere debet, & rescindere postmodum contractum, &c. ita tamen, ut semper etiam talia metu extorta juramenta, si servari debeant, strictæ sint explanationis.

¶ (o) ¶

D d z

§. IV. Qui